

Si quis autem nostram se ab hujus Concilii unitate substraxerit, à vera et integra societate Sanctorum segregatus, parique anathemate cum Juda Domini proditore percussus, cum diabolo et angelis ejus in perpetuum sit damnatus.

9. Adhuc etiam, ut omnes invidos et refragatores Oveto Metropolitanæ translationis leviter convincamus, alia exempla adducimus. Nulli quidem est dubium, olim Babyloniam mundi Orbium tenuisse principatum. Destructa vero à Domino Babylonia, mundi principatum obtinuit Roma, quam Beatus Petrus accepit in sorte sua. Sic et Hierosolyma, quæ antea Romæ et Babyloniæ fuit subdita, omnium Provinciarum facta est Domina, in qua Dominus noster Jesus-Christus pro nostra omniumque redemptione pati, et in ejusdem confinio Bethlem est dignatus nasci. Postquam autem idem Redemptor noster victor coelos ascendit, culpa infidelitatis est derelicta, velut tugurium in vinea, et crevit fides Christi per universa mundi climata. Simili etiam modo Toletus totius Hispaniæ antea caput extitit, nunc vero Dei judicio cecidit, cujus loco Ovetum surrexit.

10. Modo ergo vos, Episcopi, vel reliqui Sacerdotes, Ovetensem sedem, quam Dominus elegit Metropolitanam, colite, ac pro posse vestro fideliter erigite, et sicut superius diximus, locis quæ vobis ab ipsa Sede per Asturias attribuuntur, rei vestræ rectos procuratores ponite, et definito tempore ad Concilium Ovetum recurrite; ea videlicet ratione manente, ut per ipsas Sedes, quæ foris sunt, communi consilio laboremus, et in hac civitate, videlicet Asturiis (quam Dominus fortissimam fundavit) substantiam nostram reponamus, et contra hostes sanctæ fidei concorditer dimicemus. Nam Dominus et Salvator noster ad fidelium refugium, et suæ Ecclesiæ firmamentum erexit, in qua si omnes charitatis vinculo juncti fuerimus, ipso auxiliante adversariis nostris resistere, campos etiam defendere, ex quibus intus victum poterimus habere. Scriptum quippe est: «Civium concordia in hostes est victoria.»

11. Verumtamen nisi prius fuerit dissensio in Domini filiis, non revelabitur filius perditionis: quia si in Asturiis non fuisset dissensio, et duorum Principum electio, aut in Episcopis, et caeteris servis Dei sanctæ charitatis fuisset dilectio; profectò gladius furoris non immineret Oveto, qui circa adjacentem Ecclesiam Beati Petri plebsque ex utraque parte divino judicio interfecit. Surrexerunt nam-

que alienigenæ, et plerique falsi christiani cum duce Mahamut, ministro diaboli, et filio perditionis, tunc temporis principante Asturiensibus christianis Mauregato invasore regni Adefonsi Casti, invaserunt fines Asturiarum, quibus Rex catholicus occurrens cum multitudine Christianorum, loco prædicto commiserunt bellum. Peracta itaque, ut præmisimus, strage utrinque infinita, Salvatoris nostri Jesu-Christi clementia, cui mente devota nostra famulatur patria, christianis tandem cessit victoria. Hostes igitur terga vertentes, partim sunt gladio caesi, partim verò, ad exemplum Aegyptiorum, alveo Minci fluminis sunt submersi. De qua victoria, fratres, Dominum collaudantes, conjuncti simul summae charitatis dilectione: nec recedamus à præceptis Dei et Salvatoris nostri, qui nobis super sanctæ Ecclesiæ hostibus consolationem dabit; insuper cum sanctis et electis in regno coelorum nos annumerabit.

12. Hoc ergo, reverendi Episcopi, privilegium unusquisque vestrum diligenter scribat, et per concilia celebrata legat. Quòd si aliter feceritis, et à nostro præcepto alienos vos habueritis; videte (quòd absit) ne judicium Domini incurratis. Actum privilegium XVII Kalendarum Julii, Aera DCCCZVIII.

Subscriptiones.

Adefonsus serenissimus Princeps hoc privilegium, cf.
Adulfus Ovetensis Episcopus, cf.
Didacus Tudensis Ecclesiæ Episcopus, cf.
Theoderindus Iriensis Ecclesiæ Episcopus, cf.
Wimaredus Lucensis Ecclesiæ Episcopus, cf.
Gomellus Astoricensis Ecclesiæ Episcopus, cf.
Theodemirus Columbriensis Ecclesiæ Episcopus, cf.
Argimundus Bracarensis Ecclesiæ Episcopus, cf.
Vincentius Legionensis Ecclesiæ Episcopus, cf.
Abundantius Palentinae Ecclesiæ Episcopus, cf.
Joannes Oscensis Ecclesiæ Episcopus, cf.

Concilium Ovetense actum Aera 945. Consecratio Ecclesiae Sancti Jacobi Aera 914, C. 876. Ex Sampiro Asturicensi à Sandovalio, et Berganza edito.

Cum tantis triumphis (Aldephonsus III Rex) laetatus est nimis, et velociter Presbyteros suos Severum et Synderedum Romam ad Papam Joannem cum literis suis misit. Et reversi à Domino Papa una cum Raynaldo gerulo suo, et cum subscriptis Epistolis, licentiam consecrandi Ecclesiam B. Jacobi Apostoli, sive et Concilium celebrandi cum Episcopis Hispanis. Postea nominat, et exscribit duas Epistolas praecedentes, et prosequitur. Visis itaque Rex Epistolis magno gaudio gavisus est. Tunc constituit diem consecrationis jam dictae Ecclesiae, sive et Concilium celebrandum apud Ovetum, cum omnibus Episcopis, qui in illius erant regno. Ii sunt: Joannes (Al. *Ocensis*) Oscensis, Vincentius Legionensis, Gomerus Asturicensis, Hermenegildus Ovetensis, Dulcidius Salmaticensis, Jacobus Caurenensis, Naustus Conimbricensis, Argimirus Lamecensis, Theodemirus Vesensis, Gumadus Portugalensis, Argemirus Braccharensis, Didacus Tudensis, Egila Auriensis, (Al. Sisnandus) Sisnam Iriensis, Recaredus Lucensis, Theodesindus Britomensis, et Eleca CaesarAugustensis Episcopus ibi interfuit.

Igitur auxiliante Domino, venit Rex ad statutum diem cum uxore sua, et filiis, et praedictis Episcopis, et cum universis potestatibus, sive et cum comitibus suis praenominatis: Albarus Egunensis comes, Veremundus Legionensis, Sarracinus Asturicae, Berizo comes, Veremundus Torriensis comes, Betotus Indezae comes, Hermenegildus Dustudae et Portugaliae comes, Arias filius ejus in Minio comes, Pelagius Bregantiae comes, Ordarius Castellae et Auseae comes, Syllus Prucii comes, Erus in Lugo comes. Et cum istis omnibus omnis plebs catholica, ubi facta est turba immodica ad videndum, et audiendum verbum Domini in prima die, quae erat Nonas Maji, anno Incarnationis Domini 876, Aera 914 (sic corrigendus est Sampirus ex notis Chronologicis, et ex Analixi historiae, et consecratione Ecclesiae Compostellanae) secunda feria deducebat animum ad lunae cursum III, luna IX. Consecratum est jam dictum templum à praedictis Pontificibus hoc ordine subscripto. In primis consecraverunt altare in honorem Salvatoris nostri Jesuchristi; et ad dexteram prae-

dicti altaris, consecraverunt altare in honorem Apostolorum Petri et Pauli, et ad laevam jam dicti altaris consecraverunt altare in honorem S. Joannis Apostoli, et Evangelistae. In altari quoque, quod est super corpus B. Jacobi Apostoli, quod consecratum fuerat à septem discipulis ejus quorum nomina sunt haec: Ealocerus, Basilius, Pius, Chrysogonus, Theodorus, Athanasius, Maximinus, tamen nemo ex dictis Episcopis ausus fuit aliquid in eo agere, nisi tantum orationem, Missamque cantare.

Peracta die dedicationis, praedicti Pontifices jussu Regis secus flumen Villiam, montemque, qui ab antiquis vocatur *Ilianarius*, consecraverunt Ecclesiam in honorem S. Sebastiani Martyris; et ab illa die usque hodie vocatus est nomen ejus *Monsacratus*. His peractis abierunt omnes.

Transactis itaque XI mensibus, praedictus Rex cum uxore et filiis, et Episcopis sive et comitibus, et potestatibus; venerunt Ovetum ad celebrandum Concilium cum auctoritate Domini Papae Joannis, et cum consilio Caroli Principis Magni (*VIII Caroli Calvi R. G. et Imperatoris*). Memorali itaque Episcopi, Rege praesente, et universalis Hispaniae Concilium, illis faventibus, Ovetensem urbem Metropolitanam elegerunt Sedem, et in ea Hermenegildum consecraverunt Archiepiscopum. Et dixerunt:

Infestatione namque et incursione gentili extra Asturiarum montes nonnullis Praesulum à suis penitus Sedibus pulsus; nos vero in nostris nimium inquietati, ad ipsam domum Domini, et Salvatoris nostri Jesuchristi, de hostium faucibus confugimus erepti, ubi ipsius protectione muniti, ad ejus laudem, qui nobis praesideat constituimus Archipraesulem, quo praesenti Concilio, praemisso triduo jejunio, decernimus unumquemque nostrum pastorali cura secundum canonum instituta regere populum sibi commissum. Ad hoc sancimus, ut consilio Regis et optimatum regni, et Ecclesiae plebis, eligamus Archidiaconos, boni nominis viros, qui per Monasteria et Parochiales Ecclesias eundo, bis in anno Concilia celebrent, et lolium extirpando, ad gregem Domini praedicationis semina ministrent; ipsaque Monasteria, sive Ecclesias ita disponant, quatenus nobis fideliter rationem reddant, si vero quispiam eorum negotium sibi commissum indigne, et fraudulenter tractaverit, canonis sententiae subiacebit.

Tunc inquit praedictus Rex: Rogandus est itaque Dominus noster Jesuschristus, ut omnes istas sedes supradictas, tam populatas, quam etiam à gentibus dirutas, pia miseratione restituat, eisque tales Episcopos conferat, qui ei placeant, sedemque Ovetensem Metropolitanam et praesidium habeant. Tunc dicunt praedicti Episcopi: Nunc igitur quicumque in praedictis Sedibus fuerunt Episcopi, ad Concilium vocentur, eisque in Asturiis mansiones singulae de Sede S. Salvatoris dentur, quibus quisque sua necessaria teneat; ne dum ad Concilium tempore statuto venerit, victus supplementum ei deficiat. Asturias enim patria tanto terrarum spatio est distincta, ut non solum Christi Episcopis in ea singulae mansiones possint attribui; verum etiam (sicut praedictus Princeps M. Carolus per Theodulphum Episcopum significavit) Christi Praesulibus ad vitae subsidia valeant impendi singula loca, cum ad Concilium celebrandum venerint.

Tunc Rex inquit iterum: Vos ergo venerandi Pontifices in solitudinem redactas restaurate Sedes, et per eas ordinate Antislites: *Quia qui domum Dei aedificat, semetipsum aedificat.* (I Cor. xiv). Unde Daniel loquitur dicens: *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates* (Dan. xii). Et Dominus in Evangelio: *Gratis accepistis, gratis date.* (Matth. x). In Asturiarum vero circuitu posuit montes firmissimos Deus, et Dominus est custos in circuitu populi sui ex hoc nunc et usque in saeculum; infra quorum montium ambitum (qui quidem vix 10 dierum spatio valet circui) possunt Christi Episcopi mansiones singulas datas vobis ex Sede Sancti Salvatoris obtinere, vestrisque Sedibus extra honeste providere.

Tunc iterum inquirunt praedicti Pontifices: Roma namque ab hominibus aedificata, simili modo plures habet Episcopos, qui foris praesunt, et provident decenter suis Sedibus, quae eis necessaria ministrant in civitate morantibus, et Romano Pontifici famulantibus (Al. *Cujus Rom.*); hujus R. Pontificis Joannis jussu et consilio congregati Oveto sumus. Quo sane loco (ut praemisimus) montium munimine, manu Domini firmato, si in domo Domini Salvatoris nostri, ejusque gloriosae genitricis Mariae Virginis, necnon et duodecim Apostolorum, quos ipse Dominus jussit Evangelium praedicare, et Ecclesiam suam toto terrarum orbe congregare, vera humilitate et fidei devotione convenerimus; quemadmodum super ipsos Aposto-

los Spiritus Sanctus in igne descendit, eosque linguis variis magna-
lia Dei loqui edocuit; ita proculdubio idem Spiritus Sanctus super nos
veniet, qui nos doceat, et ignem suum cordibus nostris infundat,
et gentes quae nos infestant, reprimat, nosque ad coelorum regna
perducat. Si quis autem nostrum se obliviosus Concilii unitate sub-
traxerit; ab vera et integra societate Sanctorum segregatus, pari-
terque anathemate cum Juda Domini proditore, cum diabolo et An-
gelis ejus in perpetuum sit damnatus.— Modo ergo nos Episcopi, vel
reliqui Sacerdotes, Ovetensem Sedem, quam Dominus elegit, Me-
tropolitanam colligimus, ac pro nostro posse fideliter erigimus, et si-
cut superius diximus, locis, qui nobis ab ipsa Sede per Asturias at-
tribuuntur, rei nostrae rectos Procuratores ponimus, ut praediffinito
tempore ad Concilium Oveto recurramus.

Dationem istam in fine libri hujus invenies eam, ea videlicet ra-
tione manente, ut per ipsas Sedes, quae foris sunt communi consi-
lio laboremus: in hac civitate, videlicet Asturiis, quam Deus fortis-
simam fundavit, substantiam nostram reponamus, et contra hostes
sanctae fidei concordi mente dimicemus: nam Dominus et Salvator
noster ad suorum fidelium refugium, et Ecclesiae firmamentum, eam
firmissimam elegit, in qua si omnes charitatis vinculo vincti fueri-
mus, ipso auxiliante, adversariis nostris resistere, camposque de-
fendere, ex quibus intus victum poterimus habere. Scriptum quip-
pe est: *Civium concordia, in hostes est victoria.* Tunc inquit Hermene-
gildus Ovetensis Ecclesiae Archiepiscopus; hoc ergo Reverendi Epis-
copi, una cum Romanis Epistolis unusquisque vestrum diligenter
scribite, et per Concilia celebrate, legiteque. Quod si aliter feceritis
et à nostro praecepto alienos vos habueritis; videte (quod absit) ne
in judicium Domini incurratis. His peractis, jam dictus Rex surrexit,
et faventibus qui aderant in Concilio, tam ecclesiasticus ordo, quam
saecularis, subscriptam Dioecesim jure perpetuo tradidit Ovetensi
Ecclesiae. In Gallecia Suarnam cum possessionibus Sancti Martini,
et Sanctae Mariae de Villavoli cum omnibus suis appendiciis. Ne-
ram cum possessionibus S. Martini de Asperella, et S. Jacobi de Co-
rias, cum omnibus appendiciis earum vallem longam, et possessionem
S. Mariae, cum omnibus suis appendiciis. Flanosam, et possessio-
nem S. Martini de Perellinos, cum omnibus suis appendiciis totam
Sarriam, et possessionem S. Mariae de Corvella cum omnibus suis

appendiciis. Paramum usque ad flumen Mineum. Totam Lemostum, Vintio, et Verosino, et Saviniano, et Trojani, usque ad flumen Sylo, totam laneam, cum Ecclesiis de Patrajo, quae aedificatae sunt, vel fuerint inter Ornorium flumen, et Sylum, terminum montis Baròn, et per aquam Zore, usque in fluvium, et fundum Anoie, et per ipsum discursum usque in flumen Mineum. In vera usque in Portellam de Vanati; et Ecclesias de Sallar inter Arnoiam et Sylum, cum Ecclesiis de Barrosa Castellani, et possessionem S. Salvatoris de Ilbas Moesas, cum Saucam, Barvantes, Aura, et Aviom, Asina, Camba, Aviancos, et possessionem Ecclesiae S. Crucis de Soto Senatori, cum omnibus suis appendiciis. Sicut praedictam Sedem haereditaverunt nostri praedecessores, et Wandalii Reges stabilierunt, ita nos eam praecipimus stare et confirmamus. Tum omnes qui erant in Concilio una voce dixerunt: Placet, placet omnibus. Deinde tractaverunt ea quae pertinent ad salutem totius regni Hispaniae. His peractis, soluto Concilio, abierunt unusquisque in sua cum gaudio.

Actum Concilium 18 Kal. Julii Aera 915 non 9010 ut legitur in Sampiro, forte Amanuensium oscitantia.

APÉNDICE NÚM. 3.

Fragmentos del poema: Crónica de Ernoldo Nicello: Toma de Barcelona.

(Muratori: *Rerum italicarum scriptores*).

Urbs erat interea Francorum in hospita turmis
Maurorum votis adrociata magis
Quam Barchinonam prisci dixerunt latini,
Romanoque fuit more polita nimis
Haec Maurorum aderat semper tutela latronum,
Hostibus armigeris atque repleta fati.

Multi namque Duces vario hanc conamine belli
Obsedere diu: sed voluisse fuit.

Armis, ingenio, seu quicumque arte valebat
Sed pugnae studia compulit illa procùl.

Namque erat insigni murorum pondere fulla

Marmore praeduro structa vetusta nimis.

... Solium Rex scandit avitum

Caetera turba foris congruè dona parat,

Incipiunt fari. Coepit tunc sic Carolites.

Dicite consilium quo peragamus iter.

Haec Rex, atque Lupus fatum, sic Santio contra

Santio, qui propiae gentis agebat opus,

Vasconum Princeps, Caroli nutrimine fretus.

Ingenio atque fide qui superabat avos

Rex, censura tibi nobis parere necesse est.

Haustus consilii cujus ab ore fluit.

Si tamen à nostris agitur modo partibus haec res,

Parte mea, testor, pax erit atque quies.

Duxque Tolosana fatur Vilhelmus ab Urbe

Poplite flexato lambitat ore pedes.

Olux Francorum, Rex, et Pater, arma decusque,

Qui meritis patres vincis et ante tuos

Virtus celsa tibi et rector sapientia magne,

Concordi voto patris ab amne meant

Rex age, consiliis si dignor, consule nostris,

Atque meis votis Rex pietate fave.

Gens est tetra nimis Sarae de nomine dicta

Quae fines nostros depopulare solet

Fortis, equo fidens armorum munere necnon

Quae mihi nota nimis et sibi notus ego.

Moenia, castra, locos, seu caetera saepè notavi:

Ducere vos possum tramite pacifico:

Est quoque praeterea saeva urbs in finibus illis,

Causa mali tanti, quae sociata manet

Si pietate Dei, vestro faciente labore,

Haec capiatur, erit pax requiesque tuis.

Illuc tende gradum Rex, infer munera massis

Et Vilhelmus erit praevius, alme tuus

Tunc Rex arridens verbis ita fatur amicis,

Amplectens famulum oscula datque, capit